



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

Assumptio B.M.V. 15. Augusti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

lum inveneris, revertere ad Dominum Deum tuum.  
*Si quis pietati studet Dei homo est, Si impiè agis, Diaboli est. Non id factus per naturam, sed per animi arbitrium.*  
 S. Ignat Mart.

**ASSUMPTIO B. M. V.**

15 Augusti.

*Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. cap. 20.*

**A** Ge penna, quid humi repis dum Virginem laudas? altiùs vola, & supra cœlos laudibus hodie merentem tolle. Sequimini Sodales, si Germani Mariæ pulli estis. Crescebant, & oculos; cœli multùm delectabant primi Ecclesiæ flosculi, cùm hos è cœlo Filius, in terris Mater foveret. Sed denique ille Matrem terris, hæc filium cœlis invidebat. Ergo iterum boni nuntii bajulus Gabriel adest, & ad suavissimum mortis somnum invitat. Ad sunt interim divino nutu, qui toto orbe divisi erant Apostoli, & lectulum abiturientis ambiunt. Cerneret pro Virgine certantem cum cœlo terram. Hinc filii lacrymis retinent, & amplexu morantur; illinc suavissimi cœlitum moduli animam beatam proliciunt, trahuntque ah! sponte properantem. Suscipit proinde Matrem Filius, sinum.

numque pro sinu rependens illuc evehit, unde unum illa Deum suspicit, alia omnia despicit. Solabatur terra luctus suos optimo spolio, corpusculo Virgineo, sed etiam hoc brevi spolianda. Etenim cum, ita Numine volente, serius è XII. proceribus Thomas advenisset, & amissam Matrem etiam in tumulto mœstus quæreret, præter linthea, tantum magni thesauri nuper involucra, nihil reperit, quòd cœlum etiam corpus subduxisset. Ah liceat amplexis pedes, & in hederæ morem alligatis dicere: Nunc, si terram nauseas Virgo, scande cœlum. *Ex Brev. Rom. &c.*

## MEDITATIO.

*De Assumptione B. M. V.*

1. **M**oritur Beatissima Virgo sine dolore, sine timore, sed incredibili cum gaudio, præ desiderio quo flagrabat videndi filium. Amore dissolvitur Maria, ut sit cum Christo. Tu quoque morieris, sed quomodo? in mediis doloribus & timoribus. Roga Mariam, ut impetret tibi gratiam benè moriendi, quam Christus nulli servorum matris suæ negat, & cum aderit momentum illud terribile dic cum Justo Lipsio. *S. Maria adesto mihi cum tota aeternitate decertanti.*

3. Resurgit Maria neque enim dicebat putrescere sacrum Mariæ corpus, in quo verbum caro factum erat. O! quantum gaudeo, Virgo Augustissima, quod

quod tantum tibi beneficium collatum sit. Corpus meum ! resurges, sed nescio utrum ad gloriam vel ad miseriam sempiternam : fallor, scio, manet me gloria si serviam Mariæ : *Nam cliens Maria nullus aternum peris.*

3. Triumphat Maria, & cum admirabili apparatu coelos ingreditur : occurrunt Angeli, Pater æternus eam suscipit ut filiam, ut matrem Christus, & Spiritus sanctus ut sponsam, atque plaudente curiâ cælesti ad filii sui dextram collocatur. Jo anime ! omnia impetrabis intercessione B. M. Virginis, quia ut nunc omnia potest, sic omnia cupit tuâ causâ : At quibus adhuc officiis tibi Mariam conciliâsti ? ut pro te intercedat.

## S. ROCHVS Confessor.

16. Augusti.

*Consurget gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentia & fames, & terra motus per loca.*

Matt. 24.

**N**ascitur Rochus loco perillustri in Gallia, portentosâ Cruce à Matre rubens : ætatis anno duodecimo amissis parentibus etiam opes in pauperes abjicit, ipse ditione suâ patruo commissâ. Italiam Religionis causâ petit. Hic dum laborantibus peste servi-

H tium